Renati

Des-Cartes

ETHICE.

IN

Methodum & Compendium,

Gratiâ

Studioſæ juventutis,

Concinnata.

LONDINI:

Impenſis N. C. & venditi per W. Davis in Amen-corner. 1685.

1352. 14

Benevolo Lectori S.

HAbes hic (amice Lector) opellulam nostram tantum non instanter exaratam; at (ni fallor ego quàm maximè) Orbi Litterario haud ingratam. Ecce purum putum *Cartesium*, à suâ confusione vindicatum, in unum se collectum, & dissipatis olim membris jam à *Multiplici* Morte resurgentem, numericè, de-

tur Logicismo Venia, & verè eundem. Suis ipsius verbis nitent hæc omnia, aut saltem illis quæ ipse Vivus, aut dignissimi alii comprobassent Viri. Nostram tenuitatem dedignatur usq; Tanta ingenii sublimitas. Quæ ex *Epistolis* ipsius, *uni* olim missis, excerpta do, Tui jam & omnium fiant, & *unicuiq́* dedicantur. E *Passionibus* Physicum omne, quantum potui, tanquam à re nostrâ, abjeci;

de ſcopo & Morali diſciplina Totus ſatagens. Si Compendium ſis exoſus, putes velim quo Contractior ſit Authoris noſtri ſplendor, eò violentior nemini non eluceat. In Beneficium tibi iturum ſpero quod ſine Tædio & impenſis Gravioris Voluminis, quod exili at perjucundo apparatu ſis exceptus. Si quid præſtiterim ego notatu dignum, penes te eſto judicium. Æqui tamen

men bonique consules obsecro, & Fruaris, nè nos *Tantillum* Olei, & tam *Nullum* Temporis perdidisse pæniteat. Vale.

In-

Index Rerum.

CAP. I.

De Summo Bono. pag. 1
De Vita Beatâ. 5
Quibus modis confirmetur intellectus in cognitione ejus. Quod in Vitæ actionibus est optimum. 13
An in hac vitâ plura sunt bona quam mala. 18
De Libero Arbitrio. 21.

CAP. II.

De Passionibus in Genere. 28
De Passionibus in Specie. 47
Admiratio. 49
Amor & Odium. 51
Cupiditas. 55
Lætitia. 58
Tristitia. 59
De illis Passionibus quæ Primitivas sequuntur. 65
Passiones quæ Admirationem sequuntur. 66
Passiones quæ amore & Odium sequuntur. 73
Passiones quæ Cupiditatem Lætitiam & Tristitiam sequuntur. 78.

Cap.

CAP. III.

Quid est Amor? 92
Utrum solum lumine naturali Deum amare possumus. 97
Quæ sunt causæ quibus ad hominem unum magis quam alium etiam incognitis meritis, amandum ferimur. 101
Uter sit deterior Amoris an Odii excessus 103
De Læto Animo. 107.

ERRATA.

IN titulo & ipso libri limine, pro *Ethices* lege *Ethice*. Linea 19. p. 4. pro animâ *animam*. p. 7. l. 13, *refertur*. p. 10. l. 1, inter *unitam* & *Hæ* plenum sit punctum; & ibidem linea 16, lege *examinare*. p. 13. l. 2. leg. *cognitione*. p. 18. l. 10, *habitus*. p. 27. l. 4, *inquirer*. p. 32. l. 5. *Nostram*. p. 43. l. 8, dele *Con*. p. 52. l. ult. *quopiam*. p. 59. l. 13, *nocentior*. p. 65. l. *Specialia*. p. 6. l. 6, *perpendamus*. p. 68. l. 2, *formâ* [illegible]. l. 12. *Generosiores*. p. 78. l. 15, leg. *quædam*. p. 83. l. 13, *representando*. p. 84. l. 2, *videamur*. p. 95. l. 2, *Eædem*. p. 98. l. ult. *decretorum*. p. 100. l. 5, *poeze*. p. 101. l. 6, *ferimur*. lineâ 20, *enim*. p. 105. l. 3, *difficultas*. p. 106. l. 16, *in visum non*. Hæc aliis una cum mendis Typographi incuria Tibi (Lector) mecum æquissimo ferenda est.

Renati

Renati Cartesii

ETHICES

CAP. I.

De Summo Bono.

Bonitas cujuslibet rei considerari potest vel in se absq; respectu ad aliud (quo sensu Deus est summum bonum) vel quatenus ad nos refertur. Hoc sensu bonum illud habetur, quod ad nos aliquo modo attinet, cujusq; possessio nos aliquatenus perfectiores; Et ergo respectu nostri habendi

bonis, quæ vel possidemus, vel quibus acquirendis pares sumus. Hoc posito, summum bonum videtur respectu omnium hominum simul sumptorum, esse, omnium tum animæ, tum corporis tum fortunæ bonorum, quæ in quibusliber hominibus esse possunt, congeries; Privati vero cujusq; aliud prorsus, nempe constans rectè agendi voluntas & ea nascens animi tranquillitas. Hoc est bonum in hac vitâ perfectissimum, & penes unumquemque: Corporis enim & fortunæ bona à nobis non pendent absolutè; animæ vero bona ad duo capita referuntur, quorum unum est *nolle*, alterum *velle* id quod est bonum; cognitio autem illius sæpe vires nostras excedit, voluntas autem absolutè penes nos est; qua re

lius utatur nemo, quam si in firmo & constanti proposito ea omnia faciendi quæ judicabit esse Optima. Hic positæ sunt Virtutes omnes, hic est voluptas solidissima, & hoc unum laudem meretur & gloriam. Atq; ita conciliantur *Zenonis* Opinio; bonum in Honesto constituens, & *Epicuri*, qui illud in Delectatione aut Voluptate posuit. Quemadmodum enim Vitia omnia oriuntur ex imbecillitate ignorantiam consequente, & pœnitentiam pariente; sic Virtus consistit in mentis instituto & vigore, quo ad ea, quæ bona esse credimus facienda ferimur, modò hic vigor à pertinaciâ non oriatur, sed ex eo quod sciamus res à nobis (quantum fieri moraliter potest) examinatas fuisse. Quantum ad honorem & lau-

laudem; nihil jure laudabile est præter virtutem. Cætera bona digna sunt tantum quæ æstimentur, non verò quæ colantur aut laudentur, nisi quatenus recto liberi arbitrii usu parta vel impetrata, supponuntur. Honos enim & laus est præmii genus, at certè præter ea quæ à voluntate pendent, nihil est quod vel præmio vel pœna dignum sit. Quod ad voluptatem attinet, observo primò eorum nullum non esse penitus in anima, quamvis plurima à corpore pendeant, quemadmodum etiam anima videt, licet oculorum ope videat. Deinde adverto nihil esse quod possit animâ voluptate perfundere, præter Opinionem possidendi aliquod bonum, quæ si sit clara & ex perspecto valore, voluptas semper-

 respon-

respondeat boni ex quo oriretur magnitudini. Magnitudo autem boni cujuspiam, respectu nostri, non solum ex rei in qua consistit valore æstimanda est, sed præcipuè ex modo quo ad nos refertur, hoc est à Libero Arbitrio, cujus quidem rectus usus bonorum nostrorum summum est, & nos Deo aliquo modo pares efficit.

De Vita Beatâ.

ANnotemus primò Differentiam inter Fœlicitatem & Beatitudinem. *Fœlicitas* pendeat à rebus quæ sunt extra nos, unde fit ut aliqui fœliciores quàm sapientiores habeantur. *Beatitudo* consistit in perfectâ animi tranquillitate, & interiori satisfactione, quàm absq; fortuna sapientes assequan-

sequantur. Vivere itaq; beate, est animo perfectè contento, & tranquillo frui. Quæ vitam beatam efficiunt duorum sunt generum. Primi generis ea sunt, quæ à nobis pendent, ut virtus & sapientia; secundi generis sunt ea quæ non pendent à nobis, ut honores, divitiæ, sanitas. Certum est enim hominem bene natum, non valetudinarium, rei nullius inopem, sapientia & virtute non minori præditum, posse perfectiori satisfactione frui, quam alium quem, egenum, valetudinarium, & deformem. Quemadmodum tamen vas minus potest majori plenius esse, quamvis liquoris minus contineat, sic quamvis quisq; sit in omnibus satisfactus & contentus, beatiori alio esse potest, licet illi plurimis bonis sup-

antur. Sed necesse est ut has tres morales Regulas attendat.

Prima est, ut conetur cognoscere omnia illa quæ vel facere debet vel fugere.

Secunda est, ut non permittat se abduci passionibus, sed faciat illa omnia firmo proposito, quæ ratio suadet. Hoc apud me Virtus *solum* audit, alii licet illi varia nomina imponunt propter varia objecta ad quæ referuntur.

Nullas Virtutes agnoscimus.

Tertia est, ut attendat, (quamdiu se gerit ex ratione) bona illa quibus tunc caret omnia esse absolute extra suam potestatem, utq; hac ratione iis non cupiendis assueseat; desiderium enim solum & pœnitentia tranquillitatem nostram turbare possint. Cæterum non omnia desideriorum genera

 bea-

beatudini repugnant, sed ea tantum quæ impatientia & mœror comitatur; & licet ratio nostra decipiatur, satis est nos esse conscios nobis nunquam aut constantiam aut virtutem defuisse ad ea omnia facienda quæ optima judicavimus; atque ita fit ut virtus sola (quæ si ab intellectu minus illuminata est, solida minimè audiat, sed si ex recto rato rationis usu jucundissima) nobis in hac vita ad beatitudinem sufficiat.

Cum locutus sim de beatitudine quæ à nostro prorsus arbitrio dependet, intelligendum est de iis qui liberum habent rationis usum, quique viam ad beatitudinem norunt. Sæpe enim pravus habitus corporis impedit quo minus voluntas libera sit, & aliqui beatos se cupiant efficere, sed quâ

sationes fieri possit haud intelligunt. Quantum verò ad reliquos corporis pravos habitus, qui nos mores tantum alterant & ad tristitiam, iram, vel affectum quemlibet alium inclinant, molesti sunt, sed tamen superabiles, imò eo jucundiores, quo difficiliores superatu, adeo ut ea non sunt semper molestissima quæ gravissimè nocent. Omnes autem animæ nostræ actiones, quæ aliquid nobis perfectionis acquirunt, secundum virtutem sunt; tota autem nostra voluptas posita est tantum in perfectionis alicujus nostræ conscientia. Sic nunquàm possumus agere secundum rationem, quin id ipsum voluptate nos perfundat. Voluptatum autem duo sunt genera; Unum ad mentem solum pertinens, alterum ad mentem

tem quatenus corpori unitam, hæ ultimæ imaginationi se confuse offerentes apparent sæpe longè majores quam revera sunt, præsertim antequam possideantur; id quod omnium vitæ errorum origo est. Sæpè enim passio nobis suadet quædam multa meliora esse, quam sunt; deinde postquam illis adipiscendis laboris multum impendimus, bonaq; alia veriora negleximus, tum illorum vitia ex fruitione deprehendimus; hinc fastidia, ægritudines, pœnitentia. Quarè verum rationis officium est, valorem rerum justè examinare, quâ in re si minus æqua fortuna consilia nostra fallat, saltem manebit hoc solatium, nihil nos culpâ nostra amisisse, & nihilominus fruemur tota naturali beatitudine, cujus acquisitio fuerat in nostra

potestate. Unde fit ut vulgò malè audiat voluptas, quia vox ista non adhibetur nisi ad voluptates falsas significandas, quæ specie sua nos sæpe decipiunt, neglectumq; interea pariunt aliarum multò solidiorum; sed quarum expectatio nos minus movet, cujusmodi sunt ut plurimum solius animi voluptates. Dico ut plurimum, nam non omnes animi voluptates sunt laudabiles, possunt enim in aliquâ falsâ opinione fundari, quemadmodum ea, quam in calumniando nonnulli percipiunt, quæ in eo tantum fundatur, quod quis putat se pluris æstimatum iri, quo minoris alii. Sed præcipua differentia inter corporis & animi voluptates est, quod cum corpus sit mutationi perpetuæ obnoxium, imò cum ejus conserva-

servatio, & bene esse ex hac mutatione pendeat, voluptates quæ ad illud pertinent non diu durant, sed utiles sunt tantum eo momento quo recipiuntur. Cum è contra animæ voluptates possint, ut & ipsa, immortales esse, modò solidum fundamentum tum habeant, ut nec veritatis cognitio, nec falsa ulla opinio illud evertant. Quia corporeæ sunt his inferiores, generatim dici potest, posse hominem absq; illis se bonum efficere. Nihilominus in ea non sum sententia, ut contemni prorsus debeant, aut ut debeat quis se passionum expertem prostare; satis est si illas rationi subjiciat. Tum enim ita edomitæ eo utiliores sint, quo magis ad excessum vergunt.

Quibus

Quibus modis confirmetur intellectus in cognitione ejus, Quod in vitæ actionibus est optimum.

AD recte judicandum duo sunt necessaria; unum est *Cognitio* veritatis, alterum *Habitus* quo cognitorum memimerimus, cognitis q; acquiescamus, quotiescunq; id ocdasio postulat. Sed quia præter Deum nemo omnia perfecte novit, debet nobis satis esse eas veritates scire, quæ ad nostrum maxime usum conducunt.

Quarum *Prima* & præcipua est Deum esse, a quo omnia pendeant, ita enim docemur cætus nostros æquo animo accipere, ut a Deo nobis nihil temere immittos.

Secunda veritas, quæ venit cognoscenda, est animæ nostræ natura,

tura, quatenus absq; corpore subsistit illa, & plurium voluptatum capax est. Id enim mortis metum depellit, affectusq; nostros à terrenis ita divellit, ut fortunam undiq; instabilem despiciamus.

Tertia est, ut digne de Deo operibus statuamus, vastamq; hanc de extensione universi ideam habeamus; si enim concipiamus nihil esse extra Cœlos præter spatia imaginaria, Cœlosq; omnes Terræ causâ factos esse, Terram verò hominis, hinc fiet ut considere mus Terram nostram sedem esse hacq; vitâ melius nihil ad nos pertinere; nec inepte superbientes credamus nunc nos Deo esse à consiliis, mundiq; cum illo regimen suscipere, quod sollicitudinem pariat.

Quarta est, ut cogitemus non posse

posse quempiam per se solum sub-
sistere, & revera nos esse ex par-
tibus universi unam, & potissimum
unam ex Terræ partibus, hujus
videlicet politiæ, societatis, fami-
liæ, qui cum domicilio, sacramen-
to, nativitate conjuncti sumus.
Totius autem, cujus pars sumus,
bonum privato bono debet ante-
poni, hoc tamen cum modo &
ratione. Insipienter enim se ma-
gno malo quis exponeret, exi-
guum tantum cognatis aut Patriæ
bonum conciliaturus; & si quis
per se solus reliquâ sua civitate
præstantior esset, nulla esset ratio
cur illius salutem sui jacturâ re-
dimeret. Sed si ad semetipsum
omnia quisque referret, exularet
vera omnis amicitia, omnis fides,
omnisq; omninò virtus. Cùm è
contrario si quis se ut publicæ rei
partem

partem conſideret ſibi voluptè eſſe omnibus prodeſſe, imò & data occaſione non pigeret vitam in periculum adducere, ſi quidem id aliena poſtularent commoda. Quod ad eos attinet qui ſe morti ex faſtu, laudis cauſa oppohunt, vel ex ſtupiditate, quia periculum non perſpiciunt, exiſtimo illos miſeratione potius dignos eſſe, quam laude. Cùm verò quis ſe morti objicit, quod putet id eſſe officioſum, aut cum malum aliquod ſubit ut bonum inde aliis accedat, quanquam fortaſſe diſtincte non attendit ſe id facere, quòd communi ſocietati, cujus pars eſt, plus debeat quàm ſibi ſeorſim ſpectato; id tamen præſtat vi conſiderationis hujus, quæ ejus menti confuſè obverſatur. Hocque ſubſequitur animi vola-

ptas & tranquillitas; quæ breves ſenſuum voluptates longe antecellunt.

Quintò eſt cognitu neceſſariam illud quod ſuperius recenſui, nempe affectus noſtros ea bona, (ad quorum poſſeſſionem quærendam nos ferunt) majora nobis repræſentare, quàm revera ſunt; quin & voluptates corporeas animæ voluptatibus ſemper breviores eſſe. Quod ſedulò attendamus ut affectu quovis commoti judicium noſtrum ſuſpendamus, donec ſedatus ſit, ne falsâ ſpecie nos decipi ſinamus.

His nihil eſt quod addam, niſi quod examinandi ſint ſigillatim locorum in quibus degimus mores, ut exploratum habeamus quouſq; imitandi ſint; & quanquam certi de omnibus eſſe non poſſumus,

debemus tamen nos determinare, & opiniones eas amplecti quæ veri similes sunt, ne dubitatio pariat ægritudinem.

Cæterum dixi supra præter veritatis Cognitionem requiri etiam *habitum*, ut simus ad judicandum benè præparati; hinc rectè dicunt Scholastici virtutes esse habitus, nam reverâ raro peccatur defectu cognitionis speculativæ officii sui, sed defectu practicæ, hoc est defectu crebræ meditationis, & firmi habitus officio suo assentiendi.

An in hac vitâ plura sint bona quam mala.

Cum consideratur idea boni ut sit actionum nostrarum Regula, sumitur pro omni perfectione,

ctione, quæ in ea re esse potest, quæ dicitur bona, & lineæ rectæ assimilatur, quæ inter infinitas curvas, quibus mala comparantur, unica est. Hoc sensu solent Philosophi dicere Bonum esse ex integrâ causâ, Malum ex quolibet defectu. Sed cùm perpendimus bona & mala quæ in una eademq; re esse possunt, ut exploratum habeamus quo in pretio esse apud nos debeat, (quemadmodum cùm perpenderem quanti esset facienda hæc vita) sumitur Bonum pro omni eo, quod in re illa reperitur, ex quo commodum aliquod percipere possumus; & Malum tantum vocatur id ex quo incommodum nobis suboriri possit, ceterorum enim vitiorum, quibus res illa laborare potest, ratio non habetur. Dico in hoc

ſenſu, plura bona eſſe in hac vita quam mala quod exſtimem ea omnia, quæ ſunt extra nos, quæque à libero noſtro arbitrio non pendent, minime digna eſſe æſtimatione noſtra, ſi conferantur cum iis, quæ ab eo pendent, & quæ ſemper eſt penes nos bona efficere, modo iis ſciamus rectè uti; horumq; etiam ope impedire poſſumus, nè mala aliunde ingruentia, quantacunque ſint, altiùs in animam noſtram penetrent, quàm Meror ex funeſtiſſimo ſpectaculo exortus. Sed fateor debuiſſe hominem multum in Philoſophiâ proficere, ut eo uſque pertingat. Credo etiam illos qui affectibus ſuis quàm maxime indulgent, ſemper apud ſe ſtatuere plura eſſe in hac vitâ bona quàm mala, quanquam hoc

ipſi

ipsi non animadvertunt. Nam licet nonnunquam gravissimis doloribus cruciati mortem invocent, haud tamen aliud velint (ut in fabula habetur) quam ut in onere suo ferendo illos adjuvet; neque ideo velint vitâ excedere; aut si qui velint, & mortem sibi consciscant, id faciunt ex errore intellectus, non vero ex sanæ rationis judicio, aut ex opinione, quam ipsis natura indiderit, cujus modi est ea, quâ fit ut vitæ bona malis ejus ante ponamus.

De Libero Arbitrio.

INdifferentia mihi videtur significare statum istum in quo voluntas reperitur, cum illa non fertur ulla cognitione veri aut boni ad partem unam potius, quam aliam amplectendam, unde infi-

mus libertatis gradus in hoc consistit, quod possumus nos met determinare ad res eas, ad quas sumus prorsus indifferentes. Sed forsan per indifferentiam alii intelligunt positivam hanc (quâ pollemus) facultatem determinandi nos ad contrariorum alterutrum, hoc est ad prosequendum aut fugiendum, ad affirmandum aut negandum unum idemque. Quæ quidem positiva facultas est in voluntate, imò in omnibus ejus actionibus, ita ut voluntas nunquam se determinet, quin illam exerceat, ut etiam cum ratio nos inclinat, etsi, moraliter loquendo, vix possimus, contrarium facere, tamen absolutè loquendo possimus. Est enim semper penes nos abstinere à prosequendo bonum aliquod, quod sit nobis clarissimè notum, aut ad-

admittere veritatem quampiam evidentem, modo solum cogitemus bonum esse tueri hoc ipso arbitrii nostri Libertatem. Præterea advertendum est libertatem in actionibus voluntatis considerari posse, aut antequam Exerceantur, aut eo, quo Exercentur, momento. Certum autem est Libertatem consideratam in actionibus voluntatis, antequam illæ exerceantur, comprehendere indifferentiam sumptam in secundo sensu, hoc est, voluntatem, antequam determinata fuerit potentiam habere Eligendi Contrariorum alterutrum. At vero illa quidem non est semper indifferens; Contra enim nunquam deliberamus, nisi ut nos eo statu Eximamus, in quo nescimus, quam amplectamur partem, aut

certè ne in illam incidamus. Et quanquam judicium noſtrum alienis Imperiis opponendo, ſoleamus dicere nos eſſe liberiores in iis, quæ nobis imperata non fuerant, quàm in iis quæ nobis fuerant imperata: Nihilominus judicia noſtra, ſive cogitationes alias aliis opponendo, haud poſſumus eodem modo dicere nos eſſe liberiores in iis faciendis, quæ nobis neque bona neque mala videntur, aut in quibus tantundem videmus mali, quantum boni, quam in iis, in quibus videmus longè plus boni, quàm mali. Libertatis enim magnitudo conſiſtit aut in magnâ facilitate ad ſe determinandum, aut in magno uſu poſitivæ hujus potentiæ, quam habemus ſequendi deteriora, etiam cum meliora videamus. Atque,

quæ, si id amplectamur, quod ratio nostra nobis suadet esse bonum; tum nos facile admodum determinamus; si verò contrarium fecerimus, majorem tùm potentiæ istius usum facimus; atque ita liberius semper agere possumus in rebus iis, in quibus plus boni, quàm mali videmus, quàm in iis, quas vocamus indifferentes. Atque etiam hoc sensu verum est dicere, nos non tam liberè ea facere, quæ nobis imperata fuerint, & adquæ ultrò nequaquam feremur, quàm ea, quæ nobis non fuerint imperata: quia nempe judicium, quod nobis suadet ista esse difficilia, adversatur alteri judicio, quod nos monet, bonum esse ea facere, quæ jussi fuerimus; quæ quidem duo judicia, quo æquabiliùs nos movent,

-verit, eò etiam magis indiffe-
-rentiam inducunt, eo sensu sum-
-ptam, quo primùm, explicui,
-hoc est, indifferentiam eam, quæ
-voluntatem Constituit, in eo sta-
-tu, in quo se determinare neque-
-at.

Jam autem Libertas, conside-
-rata in voluntatis actionibus, quo
-momento exercentur, indifferen-
-tiam nullam continet, quomodo
-cunque sumatur; quia id, quod
-fit, non potest non, fieri eo tem-
-pore quo fit. Itaq; libertas tum
-consistit tantum in facilitate ope-
-randi; quæ prout augetur, auge-
-tur & libertas; tum autem age-
-re liberè, sive libenter, aut volun-
-tariò, unum sunt & idem. Quan-
-tum ad bruta, liquet illa non es-
-se libera, quippe non habent po-
-sitivam illam potentiam determi-
nandi

nandi se; inestq; illis mera negatio vis sive coactionis.

Nihil obstitit, quo minus loquerer de libertate, quam habemus ad bonum vel malum amplectendum respectu Prædestinationis, sed Theologia hic loci omnino evitanda; sed certè in Deo distinguitur voluntas ejus absoluta & independens, quâ vult ut omnia fiant, prout fiunt, alia vero relativa, quæ ad hominum meritum refertur, per quam vult, ut legibus suis obtemperentur. Si ad nos tantum attendamus, putemus arbitrium nostrum esse independens, si vero ad infinitudinem Dei, omnia ab illo necessariò pendere. Implicat enim Contradictionem ut infinitus sit & ut aliquid sit quod ab illo non dependeat.

Cap.

CAP. II.

De Passionibus in Genere.

ID omne, quod fit, aut recenter accidit, generaliter à Philosophis appellatur *Passio* respectu subjecti, cui accidit, & actio respectu illius, qui in causâ est ut contingat. Ita ut quamvis agens & patiens sint sæpe numero valdè diversa, actio & Passio tamen maneant una eademque res, quæ hæc duo habet nomina ratione duorum diversorum subjectorum ad quæ referri potest. Considerando igitur nullum subjectum dari, quod in Animam nostram agat magis immediatè, quàm Corpus,

pus, cui juncta est; ubi illud, quod est in Animâ, Passio, illud, quod est in Corpore, Actio dicatur, necesse erit expendere Differentiam inter Animam & Corpus, ut cognoscatur utri unaquæq; functionum, quæ in Nobis sunt, sit attribuenda. Quâ in re non magna est difficultas si animadvertatur id omne Corpori tribuendum esse, quod videmus etiam posse inesse Corporibus planè inanimatis; & è contrario id omne animæ nostræ tribui, quod corpori non potest convenire; unde quia non concipimus corpus ullo modo cogitare, meritò credamus omnes species cogitationum ad Animam pertinere; Et quia Corpora inanimata sese movere possent (ut ignis, &c.) credere debemus omnem Calorem

lid &

& omnes motus, qui nobis insunt, quatenus non pendent à cogitatione, solius esse Corporis. Nam quod aliqui sibi persuadere, quod Absentia Animæ causa est cessationis motus, & caloris, quæ cadavera conspiciuntur illorum experta, toto cœlo errant; nam potius putandum est, animam, cum morimur, non discedere, nisi quia ille Calor primò cessat, & organa corporis corrumpuntur. Unde differt Corpus vivens à Cadavere eo modo, quo horologium aut aliud automaton bene dispositum, & in se habens principium motus, ab eodem horologio vel alia machina, cum rumpitur & principium motûs amittit.

Omnes motus ergo qui nobis eveniunt, (voluntate nostra nihil

hil ad eos conferente, ut sæpe e-
venit nos respirare, ambulare, e-
dere, & denique omnes actiones
facere quæ nobis cum bestiis com-
munes sunt) non aliunde pen-
deant quam à conformatione no-
strorum membrorum & cursu
quem spiritus excitati per calo-
rem cordis naturaliter sequuntur
in cerebro, Nervis & in Muscu-
lis. Eodem modo quo motus
automati producitur sola virtute
manuclæ & figurâ suarum Rotu-
larum. Sed quod convenit fun-
ctio quædam corpori absque ani-
ma exemplo uno probabo. Si
quis cito extendent manum in
oculos nostros tanquam nos ver-
beraturus, quamvis sciamus eum
nobis amicum, & non nisi joco id
facere, abstinemusque ab omni
malo nobis inferendo, vix tamen

pos-

possumus nos cohibere ab illis claudendis. Quod ostendit eos non claudi animæ nostræ operâ, cum id fiat contra voluntatem nostram, quæ sola aut saltem præcipua illius est actio; Sed quòd machina nostri Corporis sic composita est, ut motus illius manus ad oculos nostros excitet alium motum in cerebro, qui deducit spiritus animales in eos musculos qui palpebras deprimunt. Sed hæc, & plura alia, quæ in Examinatione functionum corporis occurrant, Physicis & Anatomistis commendemus.

Animæ, (quæ nostri est propositi) cogitationes nostræ, ut dixi tribuantur, quæ præcipuè duûm sunt generum. Quædam sunt *actiones* animæ, aliæ ejus *passiones* sive *affectus*.

Actio-

Actiones sunt omnes nostræ voluntates; quia experimur eas directè venire ab anima nostra, & videntur ab illa solâ pendere; Sicut è contrario in Genere possunt vocari ejus passiones omnes species perceptionum sive cognitionum, quæ in nobis reperiantur; quia sæpe accidit, ut anima nostra eas tales non faciat quales sunt, & semper eas recipiat ex rebus per illas representatis. Rursus nostræ voluntates sunt duplices; Nam quædam sunt Actiones animæ, quæ in ipsâ anima terminantur, quales sunt illæ, quæ in objecto immateriali terminantur; Aliæ sunt actiones, quæ ad nostrum corpus terminantur, ut cum ex voluntate ambulandi nostra moventur crura *Perceptiones* nostræ sunt etiam duplices, aliæ a-

animam pro causa habent, aliæ corpus. Ea, quæ animam pro causa habent, sunt perceptiones nostrarum voluntatum, & omnium Imaginationum, quæ ab ea pendent: Nam certum est nos non posse quicquam velle, quin percipiamus simul nos id velle. Imaginationes, quæ per animam formantur, sunt, cum Anima applicat sese ad Imaginandum illud, quod non est ut Chimæra, vel ad illud quod intelligibile est non imaginabile; perceptiones illæ pendent à voluntate, quæ efficit, ut eas percipiat, ideoque considerantur potius ut actiones, quam ut Passiones. Inter perceptiones animæ, quæ corpus pro causa habent, maxima pars earum est, quæ pendet à Nervis: quæ non pendent à Nervis, sunt Imaginationes instar

illarum, de quibus modo locutus sum. A quibus tamen differunt hæ imaginationes in eo, quòd voluntas nostra in illis formandis non occupatur, unde non possunt poni in numero actionum animæ, nec aliunde procedant, quàm ex eo, quod spiritus diversi modè agitati cursum dirigunt fortuitò per quosdam poros potius, quam per alios; Tales sunt illusiones somniorum, &c. Etsi autem quædam harum imaginationum sint Passiones significatu generaliori, attamen quia non habent causam tam determinatam, ac perceptiones, quas anima recipit opera nervorum, videntur tantum earum esse Umbra & Pictura. Notandum autem quandoque evenire hanc picturam ita simplem esse rei, quam re-

preſentat, ut poſſit decipi quis ab ea quoad preceptiones, quæ ſunt extra nos, aut quoad eas, quæ inferuntur ad quaſdam partes noſtri Corporis; verum nulli deceptioni locus eſt, quoad paſſiones, quia tam propinquæ & intimæ animæ noſtræ ſunt, ut ei ſit impoſſibile eas ſentire, quin revera tales ſint, quales eas ſentit; ut inter dormiendum videmur ſentire ea, quæ nobis nullo modo inſint, verum etſi dormiamus, commotos nos aliquâ paſſione ſentire non poſſumus, quin veriſſimum ſit animam in ſe habere hanc Paſſionem. Quod ut melius intelligatur, animadvertendum omnes Perceptiones, quas nondum explicui, venire ad animam operâ nervorum, & inter eas hæc eſt differentia, quod quaſ-

dam

dam referamus ad objecta externa, quæ ſenſus noſtros feriunt, ut ſonus Campanæ, lumen tedæ, &c. alias verò ad noſtrum Corpus, aut quaſdam ejus partes ut fames, ſitis, dolor, calor, & alii affectus, quos ſentimus, quaſi in membris noſtris, & non ut in objectis, quæ ſunt extra nos; Denique alias referamus ad noſtram animam, quarum effectus ſentiuntur, quaſi in ipsâ Animâ, & quarum nulla vulgò cognoſcitur cauſa proxima, ad quam referri poſſint. Tales ſunt ſenſus Lætitiæ Iræ, &c. qui aliquando excitantur in nobis per objecta quæ movent nervos noſtros, & quandoque per alias cauſas; quæ tamen ſolummodò, ut Affectus Animæ, & Paſſiones à nobis conſiderentur.

Postquam sic consideratum fuerit in quo Passiones animæ differant ab omnibus aliis ejus cogitationibus, mihi videtur eas in genere posse definiri, *Perceptiones aut sensus aut commotiones animæ, quæ ad eam speciatim referuntur, quæque producuntur, conservantur & corroborantur per aliquem motum spirituum.*

Licet Anima sit juncta toti corpori, in illo tamen est quædam pars, in qua exercet suas functiones specialiùs, quàm in cæteris omnibus. Et illa sedes mihi videtur esse Glandula quædam admodum parva, sita in medio substantiæ cerebri. Ratio quæ me movet, ut hoc credam est, quod omnes aliæ partes cerebri duplices sunt, prout habemus duos oculos, duas manus, &c. & denique om-

omnia organa noſtrorum ſenſuum externorum ſunt duplicia. Et quia non niſi unam & ſimplicem cogitationem unius rei eodem tempore habemus, neceſſariò oportet dari aliquem locum, in quo duæ Imagines, quæ à duobus oculis veniunt, aut duæ aliæ impreſſiones, poſſint convenire in unum, antequam ad animam perveniant, ne ipſi repreſentent duo objecta loco unius. Quoad eos, qui putant animam recipere ſuas Paſſiones in Corde, in hoc fundatur, quòd Paſſiones in illo excitent quandam alterationem; hæc autem alteratio non ſentitur in Corde, niſi operâ nervuli, qui ex cerebro ad illud diſcendit, prout dolor ſentitur, quaſi in pede operâ nervuli pedis. Eadem impreſſio, quam preſentia objecti terri-

terribilis efficit in Glande, & quæ inducit Terrorem in quibusdam hominibus, potest excitare in aliis Animum & Audaciam, cujus rei ratio hæc est, quòd omnia cerebra non sunt disposita eodem modo, & quòd idem motus glandulæ, qui in quibusdam excitat terrorem, ut spiritus reflexi ab imagine sic formata super glandem inde sese conferant in Nervos illos, qui inserviunt vertendo tergo, & movendis cruribus ad fugam capessendam, efficiat in aliis ut spiritus subeant poros cerebri, qui eos deducant in Nervos, qui inserviunt manibus movendis ad sese tuendum, & in illos nervos, qui agitant sanguinem versus cor, ut continuatur hæc voluntas pugnandi & defendendi. Etenim observandum est

præcipuum effectum in hominibus omnium Passionum esse, quòd incitent & disponant eorum animas ad volendum ea, quibus sua corpora præparant; ita ut sensus terroris eam ad voluntatem fugiendi incitet, audaciæ verò ad voluntatem certandi, & sic de cæteris: sed voluntas adeo libera est suâ natura ut nunquam possit cogi, & ut omnis actio animæ in hoc consistat, quòd eo ipso solo quod vult aliquid, efficit ut glandula, cui arctissimè juncta est, se moveat modo convenienti ad producendum effectum, qui huic voluntati respondeat. Sic cum anima vult recordari alicujus rei, hæc voluntas efficit, ut glandula, sese inclinans successivè horsum & illorsum, impellat spiritus ad varias partes cerebri, usque

que dùm invenerint eam partem, in quâ sunt vestigia quæ reliquit objectum, cujus volumus recordari; quâ ratione excitant motum specialem in Glande, qui representat animæ idem objectum, & ipsi indicat illud idem esse, cujus recordari volebat. Sic cùm quis unum objectum voluit considerare, voluntas per illud tempus retinet glandem inclinatam per illam partem; sic cum ambulare volumus, glans impellat spiritus ad musculos, qui huic rei inserviant. Attamen non semper voluntas excitandi in nobis aliquem motum aut alium quendam effectum, efficere potest, ut eum excitemus; sed mutatio in eo contingit, prout natura, vel habitus variè unioniq; cogitationi unumquemq; motum glandis con-

junxe-

juncerint Passiones etiam nostras nequeunt directè excitari vel auferri per actionem nostræ voluntatis, sed indirectè per repræsentationem rerum, quæ solent jungi Passionibus, quæque vel bonum vel malum præmittunt. Et sane quòd Anima non potest citò mutare, vel sistere suas passiones, ratio est, quòd ferè semper eas comitatur aliqua commotio, quæ fit in corde, & per consequens in toto sanguine & spiritibus, ita ut, donec cessat hæc commotio, præsentes nostræ cogitationi maneant. Id quod ad summum voluntas facere possit, dum viget hæc commotio, est non consentire illius effectibus, & cohibere plurimas ex motibus, ad quos disponit corpus. Nec in alio, quàm in repugnantiâ, quæ est inter motus,

tus, quorum corpus per suos spiritus, & anima per suam voluntatem simul excitare annituntur in Glande, consistant omnes conflictus, quos vulgò imaginantur inter partem inferiorem animæ, quæ sensitiva audit, & superiorem, quæ rationalis est; aut inter appetitus naturales, & voluntatem. Nobis enim non nisi una inest anima, quæ nullam varietatem partium habet; eadem quæ sensitiva est, est etiam rationalis, & omnes ejus appetitus volitiones sunt; Possunt antè distingui duæ species motuum à spiritibus excitatorum in glande; alii representant animæ objecta, quæ movent sensus, aut impressiones, quæ repetiuntur in cerebro; & nullâ vi utuntur in ejus voluntatem; alii vero vi in voluntatem utuntur,

ni-

nimirum illi, qui efficiunt passiones vel motus corporis, qui eas comitantur. Attamen potest quidam Conflictus concipi in eo, quod sæpe eadem causa, quæ excitat in anima aliquam Passionem, excitat etiam quosdam motus in corpore, ad quos anima nihil conconfert, & quos sistit aut sistere conatur, quamprimùm eos observat. Ut experientiâ constat, cùm id, quod excitat metum, efficit quoque, ut spiritus ingrediantur musculos, qui inserviant movendis cruribus ad fugiendum, & ut voluntas audaciæ exercendæ eos sistat. Ex eventu autem horum conflictuum quisque potest cognoscere robur, aut debilitatem suæ animæ: Nam illi in quibus naturaliter voluntas facilius potest vincere Passiones, & sistere

sistere motus corporis, qui eas comitantur, procul dubio habent animas fortiores: sed nonnulli sunt, qui nunquam possunt explorare suas vires, quia nunquam pugnare faciunt voluntatem suis armis, sed solum iis, quæ ipsi præbent aliqui affectus ad resistendum quibusdam aliis. Propria autem arma sunt judicia firma, & determinata de cognitione boni & mali, secundum quæ decrevit actiones vitæ suæ dirigere. Prodest verò hic scire quod etsi unusquisque motus glandulæ videatur connexus esse per naturam singulis tot nostris cogitationibus ab initio nostræ vitæ, aliis tamen per habitum jungi possunt; & ab illis prorsus seperari, idem erit in bestiis. Imò hic habitus possit acquiri per unicam actionem, nec

usum

usum longum postulet; ut cum inopinato invenitur fœdum aliquid in cibo olim delectabili, jam sequitur æterna illinc illius Aversatio.

De Passionibus in Specie.

COnstat ultimam & Proximam causam Passionum animæ non aliam esse quam agitationem, qua spiritus movent glandulam, quæ est in medio cerebri; Apparet tamen easdem omnes posse excitari ab objectis, quæ movent sensus, & hæc objecta esse earum causas frequentiores, & magis principales. Ad hæc observo objecta quæ movent sensus, non excitare in nobis varios affectus ratione omnium varietatum, quas habent, sed solum ratio-

ratione variorum modorum, quibus nobis vel prodesse, vel nocere, aut genere ad nos spectare possunt. Non sum nescius autem quod alii suam Passionum enumerationem derivant ex eo, quod distinguunt in parte sensitivâ animæ duos appetitus, quorum unum vocant Concupiscibilem, alterum Irascibilem. Et quoniam in animâ nullam agnosco distinctionem partium id mihi videtur nihil aliud significare quam quod habeat duas facultates, unam concupiscendi, alteram irascendi; sed cùm similiter habet facultates admirandi, amandi, sperandi, metuendi, &c. non video cur omnes ad concupiscentiam & Iram referantur. Apud nos sex tantum sunt *primitivæ* passiones, viz. *Admiratio*, *Amor*, *Odium*, *Cupiditas*,

piditas, *Lætitia*, *Triſtitia*; cæterarum numerus eſt indefinitus, ſed poſteà oſtendam quomodo cæteræ omnes à Primitivis Originem trahant.

Primitivarum prima eſt *Admiratio*, quæ ſubitanea eſt animæ occupatio, qua fertur in conſiderationem attentam objectorum, quæ ipſi videntur rara & extraordinaria. Hæc Paſſio nullam mutationem (ut aliæ) in Corde vel in Sanguine faciat, quia bonum vel malum non habet pro objecto, ſed tantum cognitionem rei, quam miramur. Mutatio, quam facit illa, fit ſolùm in cerebro. Ejus autem vis pendet ex duabus rebus, nimirum novitate, & quòd motus, quem efficit, ſit ab initio ἐξ ἀκμῆ ſeu ſummo robore; Ra-

De Admiratione.

tio eſt quia tangitur cerebrum in quibuſdam partibus in quibus tangi non ſolet; quæ partes teneriores cum ſint, aut minus firmæ iis, quas agitatio frequens induravit, id auget affectus motuum, quos ibi excitant. Exceſſus Admirationis eſt *Stupor* qui nunquam niſi malus eſſe poteſt, ſed de Admiratione dici poteſt eam eſſe utilem in eo, quòd efficit ut diſcamus & retineamus in memoriâ noſtrâ ea, quæ anteà ignoravimus. Nihil enim miramur niſi quod nobis videtur rarum & extraordinarium. Quare videmus eos, qui nulla inclinatione naturali ad hanc Paſſionem feruntur, vulgò valdè indoctos eſſe; verum non inde ſequitur ſapientiores in eam procliviores eſſe, ſed id maximè iis contingit, qui etſi

ingenio non ſunt deſtituti, non tamen magnificè nimis de ſuâ eruditione ſentiunt. Nimiæ verò admirationis Remedium eſt acquiſitio in cognitione plurimarum rerum, & exercitium in Theoria omnium earum, quæ rariores & magis inuſitatæ poſſunt videri. Exceſſus ejus poteſt abire in habitum, ubi ejus correctio negligitur, ita ut fiant *miriones*, reſque nullius Momenti non minus poſſint eos detinere, quàm illæ, quarum inquiſitio longe utilior foret.

Amor eſt Commotio animæ producta motu ſpirituum, qui eam incitat ad ſe voluntate jungendum objectis, quæ ipſi convenientia videntur. *Odium* eſt commotio producta à ſpiritibus, quæ ani- *De Amore & Odio.*

mam ad id incitat, ut velit ſeperari ab objectis, quæ illi offeruntur ut noxia. Voce voluntatis, non hîc intelligo Cupiditatem, quæ futurum reſpicit, ſed conſenſum per quem jungamur rei amatæ, concepto quodam veluti toto, cujus nos non niſi partem unam eſſe arbitremur, & rem amatam alteram. Ut è contrario in odio nos conſideramus ſolos ut totum, penitus ſeperatum à re, quam averſamur. *Benevolentia* & *concupiſcentia* vulgò aſſignantur, ut ſpecies amoris, ſed mihi videtur illius tantum effectus eſſe non eſſentia. Poteſt meliori cum ratione diſtingui Amor ſecundum exiſtimationem, in qua ſit res amata, ipſius amantis reſpectu; Nam cùm minoris fit à quoniam objectum amoris ſeipſo,

ſeipſo, ſimplex eſt propenſio vel *Benevolentia* ; & cum amans illud æquè ac ſe exiſtimat, id vocatur *Amicitia*, & cum majoris facit, illa Paſſio poteſt nominari *Devotio.* Cæterum licet Odium directè opponatur Amori, non diſtinguitur tamen in tot ſpecies, quia non ita obſervatur differentia, quæ eſt inter mala, à quibus voluntate ſeperamur, quàm inter ea, quæ eſt inter bona, quibus jungimur. Unicam tantùm diſtinctionem notatu dignam reperio. Duo ergo ſunt genera Odii, quorum alterum refertur ad *mala*, alterum ad *deformia* ; primum *Horror* dicatur, alterum *Averſio* ; cui opponatur *Complacentia*, quatenùs ad res bonas & Pulchras fertur. Verum hæ Paſſiones Complacentiæ & Hor-

roris ſunt violentiores cæteris ſpeciebus Amoris & Odii, quià quod ad animam venit per ſenſus eam magis afficit, quàm quod illi, repræſentatur à ratione, licèt ut plurimum minus habeant veritatis, adèo ut hæ ex omnibus Paſſionibus magis fallant, & diligentiùs cavendæ ſunt. Sed ſi Cognitio Amoris vera eſt, i. e. ſi ad quas amandas nos incitat reverà bonæ ſint, & reverà illæ malæ, ad quarum Odium nos invitat, amor nunquam nimius eſſe poteſt, & multo melior eſt Odio, ſemperque producit Lætitiam. Odium è contrario tam remiſſum eſſe nequit, quin noceat, & nunquam ſine Triſtitiâ eſt. Dico nimis parvum & remiſſum eſſe non poſſe, quia ad nullam actionem incitamur ex Odio Mali, ad

quam

quam longè Melius non possumus incitari ex amore Boni, cui contrarium est ; saltem ubi hoc bonum & hoc Malum satis nota sunt.

Cupiditas est agitatio animæ producta à spiritibus per quam disponitur ad volendum in *futurum* res quas sibi repræsentat convenientes. Hæc Passio non habet contrarium licet in Scholis, & Vulgò opponitur Passio, quæ tendit in Bonum ei, quæ tendit ad fugam Mali ; quæ vocatur Aversio. Sed mihi videtur eundem semper esse motum, qui simul fert ad prosecutionem boni & ad fugam Mali, quod ipsi Contrarium est ; unde *unica* est Passio, quæ præstat utrumque. Error qui frequentius obtinet in Cupiditati-

De Cupiditate.

bus, in eo ſitus eſt, quòd non ſatis diſtinguantur res, quæ penitus à nobis pendent ab aliis: Nam quoad res, quæ ex nobis ſolis pendent, *i. e.* ex noſtro libero arbitrio, ſufficit ſcire eas eſſe bonas, ut non poſſint nimis fervidè deſiderari. Quoad ea, quæ nullo modo à nobis pendent, quantumvis bona queant eſſe, nunquam fervidè appetenda ſunt, non ſolum quia poſſunt non evenire, verùm præcipuè, quia abducunt ſtudium noſtrum à rebus aliis, quarum acquiſitio pendeat à nobis. Remedia generalia contra has vanas Cupiditates ſunt, Primò, Generoſitas, ſecundò, quod ſæpe debemus referre omnia ad prædeſtinationem Providentiæ, ut Fortuna velut Chimæra (quæ ex errore intellectus provenit)

omninò exulat. Sed quia major pars Cupiditatum noſtrarum ſe extendit ad res, quæ totæ à nobis non pendent, nec totæ ab aliis, debemus exactè diſtinguere in illis, id quod non niſi à nobis pendet, ut ad id ſolum noſtram Cupiditatem protendamus; Et quoad reſiduum, etſi ejus ſucceſſum cenſere debemus fatalem, & immutabilem, ne circa illud ſe occupet noſtra Cupiditas; conſiderandæ tamen ſunt rationes, ex quibus plus vel minus ſperare poſſit, ut inſerviant dirigendis noſtris actionibus. Sufficiat ſcire tot eſſe illius ſpecies quot ſunt Amoris & Odii, & notatu digniores, ac validiores eſſe, quæ naſcuntur ex *Complacentia* & *Horrore*.

Lætitia est jucunda commotio animæ, in qua consistit possessio boni, quod impressiones cerebri ei repræsentant ut suum. Nè confundatur hæc Lætitia, quæ *Passio* est cum Lætitia purè *intellectuali*, quæ animam subit per solam actionem animæ, & quam possumus dicere esse jucundam commotionem excitatam in illa à semet ipsâ, in qua consistit possessio boni, quod ejus intellectus ipsi ut suum repræsentat. Reverà tamen quamdiu anima juncta est corpori, vix potest fieri, quin hæc Lætitia intellectualis eam comitem habeat, quæ passio est. Verum dubitari potest nùm Amor & Lætitia sint affectus Boni nec ne, cum ab aliqua falsâ opinione procedunt? Mihi videtur eas, uti precisè consideran-

De Lætitia.

tur

tur, tantum in seipsis respectu animæ, posse dici quod, etsi Lætitia sit minus solida, & Amor minus utilis, quàm ubi melius fundamentum habent, nihilominus tamen præferri debeant Tristitiæ & Odio malè fundatis: Imò sæpe falsa Lætitia melior est Tristitia, cujus causa vera est, sed idem de Amore dicere non ausim respectu Odii. Sed quatenus referantur ad Cupiditatem ordinariò Lætitia notentior est Tristitiâ, si æquale falsum habent fundamentum, quia hæc, ingenerans moderationem & metum, disponit ad Prudentiam, illa verò imprudentes & temerarios efficit eos, qui se illi permittunt.

Tristitia est Languor ingratus in quo consistit incommoditas, quæ obvenit *De Tristitia.*

ani-

animæ ex malo, aut defectu, quem impreſſiones cerebri ipſi repræſentant ut ſuum. Datur quoque Triſtitia *intellectualis* quæ non eſt Affectus, ſed cum ſemper ferè ſibi adjunctum habet. Conſtat ex definitionibus earum, Lætitiam oriri ex opinione poſſeſſionis alicujus boni, & Triſtitiam ex opinione adhæſionis alicujus mali, vel defectus. Sed ſæpe evenit ut quis vel lætum vel Triſtem ſe ſentiat, etſi tam diſtinctè nequeat obſervare bonum vel malum, ex quo id procedat, nimirum cum illud bonum vel malum impreſſiones ſuas facit in cerebro abſque operâ animæ. Sic cum plena fruimur ſanitate, & cùm cœlum ſolito ſerenius eſt, in nobis ſentimus aliquam hilaritatem, quæ à nulla intellectûs functione

ctione provenit, ſed ſolum modò ab impreſſionibus, quas motus ſpirituum in cerebro excitat. Et eodem modo nos triſtes ſentimus, cùm corpus non bene habet, quamvis neſciamus id male ſe habere. Sic titillationem ſenſuum adeò prope inſequitur Lætitia, & dolorem Triſtitia, ut plerique homines ea non diſtinguant; Attamen tantopere differunt, ut aliquando poſſint cum gaudio ſuſtineri dolores, & titillationes excitari, quæ diſpliceant. Verùm cauſa, propter quam, ut plurimum Lætitia ex titillatione ſequitur, eſt quod omnis ſic dicta titillatio, aut jucunda ſenſatio conſiſtit in eo, quòd objecta ſenſuum excitent aliquem lenem motum in nervis; qui ſi violentus eſſet, lædat nervos & dolo-

rem

rem produceret & triſtitiam.

Harum quinque Paſſionum cauſa non eſt, ut admirationis cauſa in ſolo cerebro, ſed etiam in corde, in liene, jecore, & omnibus aliis partibus corporis, quatenus inſerviunt productioni ſanguinis, & deinde ſpirituum; & quorum quidem vis & efficacia nunc lenior nunc violentior inter Paſſiones facit differentiam. Deduco autem rationes horum motuum ex iis, quæ ſuperius dicta ſunt, nempe dari talem nexum inter animam & corpus, ut ubi ſemel junximus aliquam actionem corpoream alicui cogitationi, altera deinceps ſe nobis non offerat, quin alia ſe pariter exhibeat. Si externa ſigna harum paſſionum examinemus videamus illis præcipuè convenire *actiones*

oculo-

oculorum & vultûs, *mutationes* coloris, ſe Erubeſcentiam & Pallorem, *Tremores*, *Languores*, *Leipothymias* ſive animi deliquia, *Riſus* (qui ſi ſolutus eſt ex leviore aliqua cauſa Odii vel ſaltem admirationis provenit: Ac illi, quorum Lien non admodum ſanus eſt, obnoxii ſunt non ſolum majori Triſtitiæ quàm cæteri, ſed etiam per dilucida intervalla majori Lætitiæ & Riſui. Quoad riſum, qui aliquando comitatur indignationem, ut plurimum eſt artificialis, ſed ubi naturalis eſt, provenit ex novitate mali, vel quod videamus nos ab eo non poſſe offendi) *Lacrymas* (quæ non promanant ab extremâ Triſtitia, ut Riſus nunquam ex *maximis* Gaudiis, ſed ſolum à mediocri & quam comitatur vel ſequitur

quitur aliquis ſenſus amoris, aut etiam Lætitiæ. Sunt tamen nonnulli, qui potius pallent, quam lacrymantur cum irati ſint, quod ſignum eſt judicii & animoſitatis extraordinariæ. Verum in infantibus frequentior nota eſt pravæ indolis, nimirum cum id inde fit, quod ad Odium proclives ſint vel ad Metum) *Gemitus* (quos comitantur clamores acutiores illis, qui Riſum ſequuntur etſi ferè eodem modo Produeuntur) *ſuſpiria.* Si vero aliqui ſolitum ſuum colorem deſerant (ut in Triſtitia obſervare eſt cum triſtes rubeant) hoc aliis paſſionibus, qui ſeſe immiſceant & jungant, omnino tribuendum eſt.

De

De illis Passionibus, quæ Primitivas sequuntur.

EXplicatis sex Primitivis Affectibus, restat, ut cæteri, qui ab illis dimanant, explicentur. Duo Primi sunt *Existimatio* & *Despectus*. Nam etsi hæc nomina ordinario solas notent opiniones, attamen, quia ex his opinionibus nascuntur Affectus, quibus nomina speciala indita non fuêre, hæc ipsa illis attribui posse videntur. *Existimatio* verò qua Passio, est inclinatio Animæ ad sibi repræsentandum valorem rei æstimatæ; Ut è contrario *Despectus* est inclinatio, quam anima habet ad considerandum vilitatem aut tenuitatem ejus, quod contemnit. Atque sic hæ duæ Pas-

 siones

siones nihil aliud sunt quam Admirationis Species: Et quamvis sæpè Existimatio in nobis excitetur ab Amore, & Despectus ab Odio, illud Universale non est, nec aliunde provenit, quàm ex eo, quod plus vel minus perpendeamus ad considerandum magnitudinem vel tenuitatem objecti, quia plus vel minus illud diligamus. Quamvis autem hæ duæ Passiones possunt in genere referri ad quælibet objecta, tamen præcipuè observantur, cùm proprium nostrum meritum vel existimamus vel despicimus; Atque tunc motus spirituum, à quo sunt, adeo est in propatulo, ut mutet ipsum vultum, gestus, incessum, & in genere omnes actiones eorum, qui sub-

Passiones hæ omnes Admirationem sequuntur.

sublimius, vel aequius solito de seipsis sentiunt. Unum autem duntaxat in nobis observo, quod justam causam nobis posse suppeditare nolunt ipsos existimandi, nempe legitimum usum liberi nostri arbitrii, & imperium, quod in nostras voluntates exercemus. Sic credo veram *Generositatem* (quæ efficit ut homo se existimet, quantum potest legitime) in eo solùm consistere, quòd partim illo libero arbitrio bene vel male utitur, partim, quod sentiat in seipso firmum & constans propositum eo bene utendi; quod est perfectè sequi Virtutem. Neminem unquam contemnit, omnesque potiùs ex notitiæ, quàm bonæ voluntatis defectu, peccare credit. Ac prout non se putat multo inferiorem iis, qui pla-

ra bona & honesta possident, aut qui ingenio eruditione, formâve præpollent, ita nec se multo superiorem iis existimat, quos similiter præcellit. Qui hoc modo Generosi sunt naturaliter ad magna patranda feruntur; sic tamen nil suscipiant, cujus non capaces se sentiant. Semper perfectè humani, affabiles & officiosi erga unumquemque sunt. Atque sic Generosiones solent Humiliores esse, & *Humilitas* honesta consistit solum in eâ reflectione quam facimus super infirmitatem nostræ naturæ, efficitque ut nos nemini præferamus. Quoad Humilitatem vitiosam, ea consistit præcipuè in eo, quòd quis se imbecillem sentiat aut parum constantem, &, quasi destitutus usu, jureque libero sui arbitrii,

bitrii, nequeat ea non facere, quorum tamen debet posse pœnitere; tum etiam in eo quod credit se non posse per semet ipsum subsistere, aut carere pluribus rebus, quorum acquisitio pendet ab alio. Atque sic directè opponitur Generositati. Eos Prosperitas inflat, deprimit & Adversitas, ut abjectiores ita arrogantiores & superbiores. Ut se demittant turpiter apud eos, à quibus aliquid vel boni expectant vel mali metuant, ac simul insolenter se efferant supra eos, à quibus nihil sperant vel timent. *Superbia* eo magis vitiosa est, quo causa propriæ existimationis injustior fuerit, & si sit sine causa injustissima est, i. e. cum quis etiam nihil cogitat sibi inesse meriti, propter quod existimari debeat,

ſolum modò quia meritum non magni facit, ſibique imaginando gloriam nihil eſſe, quàm uſurpationem, credit eos, qui ejus ſibi plus arrogant, ejus quoque plus habere. Cauſa ejus fit ſæpiſſimè aſſentatio, quòd occaſionem præbet ſtupidioribus in hanc ſuperbiæ ſpeciem incidendi. Cæterùm hinc facilè cognoſcitur ſuperbiam & humilitatem non ſolum vitia eſſe, ſed & Paſſiones, quòd eorum commotio valde ſe prodit. Extrinſecùs in illis, qui ſubitò vel inflantur, vel dejiciuntur ex nova quadam occaſione. Sed dubitari poteſt, nam Generoſitas & Humilitas, quæ virtutes ſunt, poſſint etiam eſſe paſſiones, quia eorum motus minùs conſpicui ſunt, nec videtur ita virtuti cum Paſſionibus convenire ac vitio.

Attamen non video qui idem motus ſpirituum, qui inſervit commandæ cuidam cogitationi, cujus fundamentum malum eſt, nequeat ſimiliter eam confirmare, cùm juſto nititur fundamento. Quin notandum eſt virtutes vulgo ſic dici, ſolitos eſſe habitus in animâ, qui eam ad certas cogitationes diſponunt, ita ut ſic differant ab illis cogitationibus, ut tamen & eas producere, & recìprocè ab illis produci poſſint. Obſervandum quòque has cogitationes produci poſſe ab anima ſolâ, ſed ſæpe evenire, ut inſuper aliquis motus ſpirituum eas confirmet; atque tum ſimul ſunt actiones virtutis, & Paſſiones animæ. *Veneratio* ſive *cultus* eſt inclinatio animæ non ſolum ad exiſtimandum objectum, quod ve-

veneratur, sed etiam ad se illi subjiciendum cum aliquo timore, ejus favoris demerendi gratiâ, adeòque non veneramur, nisi causas liberas, quas posse nobis vel bene vel male facere judicamus, etiamsi nesciamus utrum sint futuræ. Amore & Devotione prosequimur potius quam simplici veneratione eos, à quibus nihil nisi bonum expectamus; odimus verò eos, à quibus nihil nisi malum præstolamur. Motus spirituum qui excitat hunc Affectum Venerationis, componitur tum ex eo, qui Admirationem excitat, tum ex eo, qui excitat Timorem. *Dedignatio* est inclinatio animæ ad spernendam causam liberam judicando eam, etsi natura sua capax sit benè vel malè faciendi, tamen adeò infra nos esse,

esse, ut nobis neutrum facere possit. Generositas & Imbecillitas animi determinant bonum & malum usum harum duarum Passionum, sc. Venerationis & Dedignationis.

Favor propriè est cupiditas videndi bonum evenire ei, erga quem bona ferimur voluntate. Favor hic est species *Amoris*, non Cupiditatis, etiamsi Cupiditas videndi bene esse, cui favetur, eum semper comitetur. Gratitudo est id, quod excitatur in nobis aliqua actione ejus, in quem fertur, quaque credimus eum nobis benefecisse, aut saltem benefacere in animo habuisse. Hujus oppositum Ingratitudo, vitium est, non habitus, proprium hominum brutorum & superborum,

Passiones Hæ Amoris & Odium sequuntur.

bonum, qui putant omnia sibi deberi, aut stupidorum, qui nullam faciunt reflexionem animi ad beneficia quæ accipiunt, aut objectorum, qui ubi suam infirmitatem sentiant, demissè quærunt auxilium aliorum: quod ubi sunt consecuti eos odio prosequuntur, quia destituti voluntate paria referendi, aut se id posse desperantes, & sibi fingentes omnes omninò secum venales, & mercenarios esse, nihilque boni fieri, nisi cum remunerationis spe, eos se decepisse arbitrantur. *Indignatio* est species Odii, quæ naturaliter fertur in eos, qui aliquid mali faciunt, qualecunque illud sit. Sæpe quidem Invidiæ commiscetur aut Misericordiæ, sed tamen objectum habet valdè diversum. Illis enim solis indignatio na-

namur, qui benè & malè fuerint indignis, sed invidemus iis, qui illud bonum consequuntur, & miseret nos eorum, qui illud malum patiuntur. Sæpe etiam indignationem comitatur Admiratio, cum enim alitèr quid evenit, quàm expectamus, id nobis inopinatum est, & admirationem ciet. Nec etiam cum Lætitiâ incompatibilis est, etsi frequentius conjungatur Tristitiæ. Indignatio magis observatur in iis, qui malunt videri virtuti addicti, quàm in iis reverà tales sunt. *Ira* est etiam species Odii, quam habemus erga eos, qui aliquod malum fecerunt, aut qui conati sunt nocere, non indifferenter quibusvis, sed speciatim nobis atque sic idem continet, quod indignatio, & hoc amplius, quòd fun-

fundamentum habeat in actione, quæ nos ſpectat, & cujus ulciſcendæ Cupiditate tenemur. Minus metuendi ſunt qui ex Ira erubeſcunt, quàm qui pallent; Cujus rei ratio eſt, quòd in rubore calorem noſtrum vultu & verbis explicamus, in pallore autem ſervatur & determinatur majori ultioni, eo quod putent ad id ſe teneri ea actione, ob quam iraſcantur, quandoque etiam metuunt mala, quæ ſequi poſſunt ex concilio ſuſcepto, quod primo obtutu eos reddit pallidos, frigidos, & trementes; aſt ubi poſtea ſuam ultionem exequuntur, eo magis incaleſcunt, quo frigidiores ab initio fuerant, ſicut videmus febres, quæ à frigore incipiunt, ut plurimùm vehementiores eſſe. Inde monemur *duas*

ſpe-

ſpecies Iræ poſſe diſtingui, quarum una promptiſſima eſt, & valdè ſe prodit foras, ſed tamen paruùm præſtet & facile ſedari poteſt; altera, quæ non ita ab initio apparet, ſed magis corrodit, & quæ effectus periculoſiores habet. Qui multum Bonitatis & Amoris habent, priori ſunt magis obnoxii. Non enim oritur ex profundo Odio, ſed ex ſubitanea Averſione quæ eos derepente occupat, quia tunc eò propendeant, ut imaginentur omnia debere eo modo procedere, quem optimum judicant, quamprimum aliter evenit, id mirantur, & inde offenduntur, ſæpe etiam, etſi res eos ſpeciatim non ſpectet. Contra perniciofiſſimam iram Generoſitas pro Remedio venit.

Spes

Spes eſt diſpoſitio animæ ad ſibi perſuadendum id eventurum, quod cupit, quæ producitur motu ſpeciali ſpirituum, conflato ex motu *Lætitiæ* & Deſiderii inter ſe permixtis. *Metus* eſt alia animæ diſpoſitio, quæ ipſi perſuadet id ipſum *eventurum*. Ac obſervandum has duas Paſſiones, licèt ſibi contrarias, tamen poſſe ſimul alicui ineſſe; nimirum ubi ſimul objiciuntur menti diverſæ rationes, quarum quædam ſuadent eventum Cupiditatis facilem eſſe, aliæ difficilem eum reddunt. *Securitas* eſt, cum ſpes ita eſt firma ut expellat metum; *Deſperatio* eſt cum Metus adeo extremus eſt, ut omnem ſpem decollet; & hæc Deſperatio exhibens

Paſſiones quæ Cupiditatem, Lætitiam & Triſtitiam ſequuntur.

hibens rem ut impossibilem, extinguit planè Cupiditatem, quæ non nisi in possibilia fertur. *Zelotypia* est species Metus, qui spectat Cupiditatem sibi conservandi possessionem cujusdam boni; nec tam procedit ex vi rationum, quæ judicare faciunt illud amitti posse, quàm ex magno æstimio in quo est; quod efficit ut examinentur vel minimæ suspicionis causæ, & sumantur pro rationibus maximi momenti hæc Passio honesta est, cùm in conservandis bonis pro curâ haud injustâ sumitur; vitiosa est, cum pro curâ nimia sumitur, & quidem ad suspiciones hasce & diffidentias propriè ut Passio referatur. *Animi fluctuatio* est quoque species Metus; Quare affectus non est nisi in quantum metus

rus errandi in electione ejus auget incertitudinem. Retinet animam, quasi in dubia lance, inter plures actiones, quas facere potest & in causa est, ut nullam exerquetur, sicque habeat tempus ad eligendum antequàm se determinet; in quo reverâ habet quendam usum, qui bonus est: Verùm cum ulterius durat, quàm par est, & illud tempus deliberationi impendit, quod requirebatur ad agendum pessima est. Dico autem eam esse speciem Metus, quamvis accidere potest, cùm datur optio plurimarum rerum, quarum bonitas valdè æqualis apparet, ut incerti & fluctuantes hæreamus, etsi nullus propterea subsit Metus. *Animositas* non habitus, cum Affectus sit, sed certus quidam calor, sive agitatio, quæ dispo-

disponit animam ad agendum viriliter in executione rerum, quas meditatur, cujuscunque naturæ sint. Est *Audacia* Animositatis species, quæ disponit animam ad res eas exequendas, quæ plus periculi habuerint. Estque *Æmulatio* ejus quædam species sed alio sensu, potest enim Animositas considerari ut genus, quod dividitur in tot species, quot extant diversa objecta, & in tot alias, quot causas habet; Priori modo Audacia ejus species est, posteriori Æmulatio. Hic verò nihil aliud est, quàm calor, qui disponit animam ad suscipiendas res, quas sibi successuras sperat, quia aliis ea succedere videt, & sic est species Animositatis, cujus causa externa est Exemplum. *Pusillanimitas* directè Animosita-

ti opponitur, eſtque languor ſive frigus, quod impedit animam ne feratur ad ea peragenda quæ faceret, ſi iſto affectu careret. *Conſternatio* audaciæ contraria, eſt perturbatio & ſtupor animæ, qui ipſi aufert facultatem reſiſtendi malis, quæ proxima eſſe putat. Quamvis autem mihi perſuadere nequeam, Naturam indidiſſe hominibus ullum affectum, qui ſemper vitioſus ſit, nullumque uſum bonum & laudabilem habeat, tamen vix conjicere poſſum cui bono hi duo queant inſervire. *Morſus* Conſcientiæ eſt ſpecies Triſtitiæ ortæ ex dubitatione ſive ſcrupulo, qui injicitur, num id, quod fit vel factum, eſt bonum ſit necne. *Irriſio* eſt ſpecies Lætitiæ mixtæ cum Odio, quæ inde oritur, quòd de-

deprehendatur leve aliquod malum in perſonâ, quæ illo digna putatur: odio habetur illud malum, & gaudetur in illo reperiri, qui eo dignus eſt. Imperfectiſſimi quique ſoleant maximi eſſe Irriſores, cum enim cæteros omnes cupiant in pari gradu videre, lætantur ob mala, quæ ipſis eveniunt & eos, illis dignos exiſtimant. Quod ad *locum* Modeſtum, qui reprehendit utiliter vitia, ea ridicula repræſendo ſine odio, licet non affectus eſt, tamen qualitas eſt honeſti viri, quæ indolis ejus alacritatem denotat, ingenii dexteritatem, & animæ tranquillitatem. Nec turpe eſt ridere cum jocos audimus aliorum, imò tales eſſe poſſunt, ut moroſitatis nimiæ foret, de illis non ridere. Verùm cum

ipſi jocamur magis decet abſtinere riſu, ne videantur derepentè & inopinatò occurrere rebus, quas dicimus, vel nos ipſi videamur dexteritatem noſtram mirari: Quin ita fit, ut eo magis ex inopinato occupent Auditores. *Invidia qua* Affectus eſt, ſpecies eſt Triſtitiæ mixtæ cum Odio, quæ inde procedit, quod videmus bonum accidere iis, quos eo indignos arbitramur. Quod de ſolis fortunæ bonis cum ratione putari poteſt. Quod ſi excitetur in nobis, quod amantes juſtitiam, eam non obſervari in diſtributione horum bonorum videmus, & cum fit boni cauſa, juſta fiat Invidia; ſed ſi in Perſonas, qui illud poſſident aut diſtribuunt, fertur injuſta eſt & inexcuſabilis. Invidi ſunt plerum-

rumque colore livido, hoc est, flavo & nigro, & quasi contuso sanguine, sed non omnes istius coloris censendi sunt ad Invidiam proclives esse. *Commiseratio* est species Tristitiæ amore & Benevolentia mixta, quâ fit ut erga illos benevoli sumus, quos aliquid mali pati videmus, quo eos indignos judicamus. Illi, qui se valdè debiles sentiunt & obnoxios adversæ fortunæ, videntur aliis propensiores ad hunc affectum esse. Differt à generositate, quod Generositas amara non est Tristitia, sed instar ejus, quam producunt casus tragici, qui in Theatro repræsentantur, & magis est in exteriori & in sensu, quàm in ipsa animâ. Soli homines maligni, Invidi, stupidi & desperabundi nulla Commise-

ratione tanguntur. *Satisfactio* sive *Acquiescentia in seipsis*, quam semper illi consequuntur, qui insistunt Virtuti, est Habitus in eorum animâ, qui vocatur Tranquillitas & Quies Conscientiæ. *Pœnitentia* contraria satisfactioni procedit ex eo, quòd credimus nos aliquid mali perpetrasse. Est autem valdè amara, quia ejus causa non aliunde, quàm à nobis est. *Gloria* species est Lætitiæ, fundata super Amorem sui ipsius, quæ oritur ex opinione ac spe concepta laudis apud alios obtinendæ; Differt à satisfactione interiori, quæ nascitur ex opinione, quòd aliquam bonam actionem fecerimus. *Pudor* procedit ab opinione & metu vituperii; & insuper species est Modestiæ & Humilitatis & propriæ diffi-

diffidentiæ; Cum enim quis eò uſque ſe ipſum exiſtimat, ut nequeat imaginari ſe ab illo contemni, non facile poteſt pudore ſuffundi. Gloria autem & pudor eundem uſum habent in eo, quòd nos ad virtutem incitent, illa ſpe, hæc metu: ſolummodò inſtrui debet judicium de iis, quæ revera digna ſunt vituperio, vel laude, ne pudor obrepat ex bene factis, aut gloria ex vitiis, ut pluribus evenit. At non convenit penitus exuere hos Affectus ut olim *Cynici*; etſi enim populus peſſimè judicet, attamen quia ſine ipſo vivere non poſſumus, & noſtrâ refert ab illo æſtimari, ſæpè debemus ejus opiniones ſequi potius quam noſtras, quoad externa noſtrarum actionum. *Impudentia* non eſt Paſſio, quia nobis haud

haud ineſt motus ſpecialis ſpirituum, qui eam excitet, ſed vitium eſt oppoſitum pudori & Gloriæ. Præcipua illius cauſa oritur ex gravibus contumeliis, quibus aliquis ſæpe affectus fuerit; Ubi poſt paſſas inſignes quaſdam contumelias honore ſe vident penitus deſtitutos, & ſpretos ab omnibus, quare illi fiunt inverecundi, qui bonum & malum ex commoditatibus corporeis metientes, vident ſe illas æque poſſidere poſt has Contumelias ac antè, imo etiam aliquanto melius, quod exonerentur multis neceſſitatibus, ad quas honor ipſos obligabat. *Faſtidium* (gallicè deſgouſt) ſpecies Triſtitiæ eſt, Ita enim conſtituti ſumus, ut pleræque omnes res, quas poſſidemus, bonæ non ſint noſtri reſpectu, niſi ad tem-

tempus, & poſtea fiant incommodæ. Quod apparet in eſu & potu, qui non ſunt utiles, niſi quamdiu viget appetitus, ſed fiant noxii, ubi ceſſat. *Deſiderium* eſt ſpecies Triſtitiæ, quæ procedit ex bonis, quæ ita perierunt, ut nulla ſpes ſuperſit ea recuperandi eo tempore & modo, quo nos illa deſideramus. *Hilaritas* ſpecies eſt Lætitiæ, quæ id habet ſpeciale, quòd ejus Dulcedo augetur recordatione malorum præteritorum, ex quîbus homines ſe ita ſublevatos ſentiunt, ac ſi grave aliquod onus ex ſuis humeris remotum ſentirent. Nihil autem video in his tribus Paſſionibus valdè dignum, nec vix poteſt ſubeſſe mihi cauſa, cur eas hic deſignavi.

Ut ab affectibus noſtris nihil in-

incommodi patiamur, ſciendum noſtrum bonum & malum pendere præcipuè à commotionibus internis, quæ in anima, non-niſi ab ipſa anima, excitantur; in quibus differunt ab his paſſionibus, quæ ſemper pendent à quodam motu ſpirituum. Quamvis autem hæ Commotiones animæ ſæpè jungantur Paſſionibus, quibus ſimiles ſunt, ſæpe etiam poſſunt reperiri cum aliis, imò naſci ex planè contrariis; Ut cùm Uxor ſæpe mariti mortem deflet, quamvis nihilominus ſentiat Lætitiam occultam in animo, cujus commotio tantum virium habet, ut Triſtitia & Lacrymæ, quæ eam comitantur, nihil ex ejus viribus imminuere poſſint. Contra omnes autem Affectuum exceſſus ponitur hoc ut *remedium*

generalius & facilius; Quod ubi ſentitur ea ſanguinis Commotio, præmoneri & meminiſſe oporteat, omnia, quæ ſe imaginationi offerunt, non aliò ſpectare, quàm ad animæ deceptionem, eique perſuadendum, rationes, quæ inſerviunt commendando objecto paſſionis ſuæ, longè firmiores eſſe, quàm revera ſint, & è contrario debiliores, quæ eidem improbando inſerviunt.

Uſus Paſſionum eſt incitare animam ad contribuendum iis Actionibus, quæ inſervire poſſunt conſervando corpori, aut illi aliquatenus perfectius reddendo ſed licet his uſus Paſſionum eſt maximè naturalis, non ſemper vero bonus, cum multa ſint cor-

corpori noxia, quæ etiam aliquam Lætitiam ab initio illi præbeant. Experientia ergo uti debemus & ratione, nè quicquam cum exceſſu ſectemur.

Cap. III.

Quid eſt Amor.

Amor eſt duplex, purè *intellectualis*, & *ſenſitivus* qui eſt Paſſio. *Prior* mihi videtur aliud non eſſe, quàm quod ubi anima noſtra bonum aliquod ſive præſens ſive abſens precipit, quod ſibi conveniens eſſe judiciat, ſe cum illo voluntate conjungit, *i. e.* ſeipſum cum hoc bono conſiderat, veluti totum aliquod, cujus illud eſt pars una, ipſa vero pars altera.

De-

Deniq; ſi preſens eſt, hoc eſt ſi illud poſſidet, vel ab illo poſſidetur, aut deniq; cum ipſo conjuncta eſt, non ſolum voluntate ſed etiam realiter & de facto, eo modo, quo ipſi convenit conjungi, motus voluntatis ejus, qui eam cognitionem comitatur, quâ ſcit hoc eſſe ſibi bonum, eſt ejus Lætitia; ſi verò abſens ſit, motus voluntatis ejus, qui eam cognitionem comitatur, quâ ſcit ſe illo privari, eſt ejus Triſtitia. Motus autem ille, qui cognitionem iſtam comitatur, quâ ſcit acquiſitionem ejus ſibi fore bonam, eſt ejus deſiderium: Omneſq; hi motus in quibus conſiſtit amor, quatenùs ſunt rationales cogitationes, non verò quatenus paſſiones, poſſent in animâ noſtrâ, corpore quamvis nudatâ, locum habere. *Senſitivus*

amor

amor nihil aliud eſt quam confuſa cogitatio motu nervorum aliquo in animâ excitata, quâ ad aliam hanc clariorem cogitationem diſponitur, in quâ rationalis amor conſiſtit. Ut plurimum hi duo amores ſimul conjuncti ſunt; eſt enim tale inter utrumq; vinculum, ut cum anima judicat objectum aliquod eſſe ſeipsâ dignum, cor ſtatim diſponatur ad motus, qui amoris Paſſionem excitant; corde autem ab aliis cauſis ita diſpoſito, Anima qualitates amabiles fingit in ejuſmodi objectis, in quibus aliàs nil niſi vitia animadverteret. Neq; porro mirum eſt, quòd quidam cordis motus cum quibuſdam cogitationibus, quibuſcum ſimilitudinem nullam habent, ſint naturaliter ita conjuncti, cum totius animæ ea ſit

Na-

Natura ut toti corpori uniri potuerit, ut eadem disposítiones in illo aliàs redeuntes eandem in anima cogitationem reducant, & viciſſim. Primæ autem corporis disposítiones, quæ ſtatim ab ortu cogitationes noſtras comitatæ ſunt, ſine dubio arctiùs cum illis junguntur, quàm illæ, quæ poſtmodum comitantur. Primam autem paſſionem judico fuiſſe *Lætitiam*, quia non eſt veriſimile animam huic corpori fuiſſe immiſſam, niſi cum eſſet recte diſpoſitum, recta autem diſpoſitio nos lætitia naturaliter efficit. *Amor* Lætitiam ſubſecutus eſt, nam cum corporis noſtri materia indeſinenter efluat, haud ſecùs, quam aqua fluminis, ſitq; opus ut nova in ejus locum ſuccedat, haud ferè veriſimile eſt corpus fuiſſe recte diſpoſitum

poſitum, quin aliquid adfuerit materiæ ipſi alendo admodum idoneæ; anima autem ſe voluntate conjungens cum hac nova materiâ amore erga illam affecta fuit; ſi vero alimentum deeſſet, *Triſtitiam* contrahit anima, etſi quæ in ejus locum venit minùs idonea, in illam materiam afficitur *odio*. Hæ ſunt igitur quatuor illæ Paſſiones, quas in nobis primas fuiſſe exiſtimo, & quas ante nativitatem noſtram ſolas in nobis, confusè licet tunc cogitationes, fuiſſe opinor. Solum dicam confuſos hoſce infantiæ noſtræ ſenſus, qui cum cogitationibus à ratione proficiſcentibus, per quas id amamus, quod amore dignum judicamus, juncti permanent, cauſam eſſe cur amoris natura ſit nobis cognitu difficilis. Deſiderium crebrò

crebrò pro amore sumitur, unde duo amorum genera distinguo, unum est amor benevolentiæ, in quo minus desiderium apparet, alterum concupiscentiæ, qui nihil aliud est quam vehementissimum desiderium in amore, quamquam plerumq; debili fundamento fundatum.

Utrum solo lumine naturali Deum amare doceamur.

RAtio dubitandi duplex est. Prior est, quòd ea Dei attributa tanto nos superant intervallo, ut neutiquam concipiamus posse illa esse nobis convenientia, quod in causa est, ut nos cum iis voluntate non conjungamus. Secunda est quod nil sit in Deo quod sub imaginatione cadat, unde fit, ut quamvis intellectuali il-

lius amore quisquam afficeretur, sensitivè tamen affici posse haud quaquam videretur ; quia ut ab intellectu in sensus propagaretur, deberet per imaginationem transire. Nihilominus nullus dubito quin sola naturæ nostræ vi possimus Deum amare. Via autem, quam ineundam puto, ut ad Dei amorem perveniamus, est, ut attendamus eum esse mentem sive cogitans quid ; qua in re cùm animæ nostræ natura aliquam cum ejus naturâ cognationem habeat, animum inducimus illam esse à suprema ejus intelligentia emanationem & divinæ quasi particulam auræ. Si attendamus ad infinitudinem potentiæ ejus, per quam tum multa creavit, quorum pars sumus minima ; ad providentiæ ejus extensionem, ad decretorum

ejus infallibilitatem, & denique ad nostram tenuitatem; meditatio harum omnium hominem earum probe gnarum tanto gaudio perfundent, eumq; tam perfectè amabit ut nihil prius habiturus sit in votis; quàm ut Dei voluntas fiat, adeò ut sive adversitas sive prosperitas sui sortis erit, suo in Deum amore perfectè beatus efficietur. Licet igitur eorum, quæ sunt in Deo, amoris nostri objecto, nihil imaginari possumus; possumus tamen nostrum hunc amorem imaginari, qui in hoc consistit, quod nos objecto cuipiam unire velimus, hoc est respectu Dei nosmet considerare tanquam rerum creatarum, & immensitatis particulam aliquam minutissimam. Nam pro diversitate objectorum potest quispiam vel se cum illis, vel illa se-

cum diversis modis conjungere, & sola unionis idea sufficit calori circa cor excitando, & vehementissimæ passioni efficiendæ. Verum porca est servitutis aulicæ formula, ut dicamus superiores nostros colere, in pretio, in honore habere, nequaquam *amare*, quod amicitia facit homines aliquo modo pares. Hæc autem *Philosophi* nihil morantur, & tantum abest ut amor, quo objecta, quæ supra nos sunt amplectimur, minor sit eo, quo alia prosequimur, ut contra credam eum esse natura sua perfectiorem, ita ut majori ardore, ea, quæ amatum objectum spectant, amplectamur. Quo enim totum est pretiosius, cujus pars sumus, eò majori vehementia illum prosequimur. Ex quibus liquet nostrum erga Deum amo-

rem

rem debere esse omnium longè summum & perfectissimum.

Quæ sunt causæ quibus ad hominem unum magis quam alium, etiam incognitis meritis, amandum fecimur?

CAusas duas animadverto, quarum una est in animo, altera in corpore. Verùm ea, quæ est in animo, tam multa supponit de natura animarum nostrarum, ut non ausim in compendio & hic loci exponere. Quare dicam tantum de ea, quæ est in corpore. Consistit autem hæc in cerebri nostri partium dispositione, sive hæc dispositio ab objectis per sensus, sive ab alia aliqua causa inducta fuerit. Objecta enim, quæ sensus nostros afficiunt, movent quasdam cerebri nostri

partes nervorum ope, certasq; in eo plicas faciunt, quæ evanescunt, quando ab agendo cessat objectum; sed pars ea, in qua receptæ fuerunt, manet postmodum dispositа, ad plicas eodem pacto denuò recipiendas ab alio quovis objecto, quod sit priori quadantenus, licet non per omnia, simile. Cum quempiam animus latente causâ credere est inde fieri, quòd ipsi insit aliquid simile iis, quæ in objecto quopiam antea animato fuerunt, quamvis quid sit illud nesciamus. Et licet perfectio sit sæpius quam vitium, id, quod nos ad amorem ita allicit; Nihilominus quia nonnunquam fieri potest, ut sit vitium, non debet sapiens huic plane indulgere, antequam ejus meritum perpenderit, erga quem se ita commo-

tum

tum persentiscit. Verùm quia non possumus eos omnes pariter amare, in quibus paria merita deprehendimus, credo debere nos illis omnibus parem tantum æstimationem. Ubi secretæ hæ propensiones causam habent in animo, non vero in corpore, puto esse iis semper obsequendum. Præcipuum autem, quo discernantur, κεκτιμεῖν est, quod quæ ab animo proficiscuntur reciprocæ sint, quod aliis plerumq; non contingit.

Uter sit deterior Amoris an Odii excessus?

POtest hæc difficultas varios sensus admittere. Potest dici passio una alia deterior, vel quia nos magis à virtute removet, vel quia tranquillitati nostræ magis repugnat, vel deniq; quia nos ad ma-

majores excessus rapit, majoraq; cæteris hominibus mala inferenda. Pensitatâ utriusq; hujus Passionis definitione, judico quidem ex amore in objectum indignum posse nos deteriores fieri, quam ex odio erga objectum amore nostro dignum. Gravius enim est periculum cum re mala conjungi atq; in eam veluti transformari, quam ab aliqua, quæ bona est, voluntate disjungi. Sed cum ad habitus ex his Passionibus germinantes attendo, muto sententiam: Amor enim, qui habet bonum pro objecto, non corrumpit nostros mores æquè ac odium, quod nihil nisi malum sibi proponit. Quanquam enim Odium justum sit, tamen paulatim malitiæ assuefiat, cum ex adverso inordinatus amor faciat, ut melior sæpè evadat quis,

quam

quam si aliis cogitationibus animum dederat.

Secundo sensu nulla difficultas occurrit, odium enim semper comitem habet Tristitiam ac ægritudinem; amor verò, quantumvis inordinatus, voluptatem affert, & licet calamitates multæ amori tribuuntur, ab aliis affectibus, qui illum comitantur, sc. temerariis desideriis, vanâ spe, proficiscuntur.

Sed si quæratur utra harum passionum nos ad majores excessus rapiat, nosq; ad majora cæteris hominibus mala inferenda possit adigere, mihi videtur esse Amor; quia natura sua longè magis viget quam Odium, quod probetur ex utriusq; origine sc. sanguine, qui in amore plures in cerebrum spiritus emittit, quam Odium; idem pro-

probetur experientiâ, nam qui fortiori sunt præ cæteris animo, vehementius amant, quàm reliqui, contra vero infirmi, debiles ignavi ad odium prochiviores sunt. Equidem ira potest homines audaces efficere; sed illa vires suas mutuatur ab amore, quo se quisq; prosequitur, qui semper est ejus fundamentum; non verò odium, quod illum tantùm comitatur. Desperatio in magnos impetus adigit metusq; sed inter hos & odium est aliquid discriminis. Malum ex odio proficiscens ultra objectum invitum non extenditur, cùm è contra inordinatus amor nulli rei parcat præterquam suo objecto, modò id furoris sui fiat irritamentum. Dicet fortasse aliquis odium esse malorum causam proximam quæ amori tribuuntur, quia

quia si quid amamus, eadem ope-
ra odio habemus quicquid ipsi
adversatur. Sed amor semper ma-
gis reus est malorum, quæ hoc
modo fiunt, quam Odium, quippe
qui sit prima morum causa, & quia
unius objecti amor potest aliorum
plurimorum odium concitare. Præ-
terea gravissima, quæ ex amore
proficiscuntur mala, non sunt ea,
quæ ex odio fiunt, sed majora sunt
ea, quæ amor ob unicam amati
objecti, vel suam ipsius voluptá-
tem facit, aut vero fieri jubet.

De Lætitia Animæ.

QUemadmodum sanitas cor-
poris & objectorum ju-
cundorum præsentia multum ju-
vant animam ad abigendos à se
pathematibus omnibus, quibus est a-
liquid cognationis cum Tristitia,

iisq;

iisq; acciendis, quæ ad lætitiam vergunt; sic vicissim lætus Animus multum confert ad firmiorem corporis valetudinem, necnon ad objecta præsentia jucundiora efficienda; Imò hanc animæ lætitiam vi aliquâ pollere ad conciliandum sibi fortunam. Experimenta à me sæpius observata sunt, quod ea, quæ alacritur & sine aversatione aggressus sum, mihi ut plurimum successerint; eo usq; ut etiam in aleis, in quibus sola fortuna regnat, semper illam æquiorem expertus fuerim, cùm Lætitiæ, quàm cum mœroris causas habuerim. Verùm in gravissimis vitæ negotiis, quæ tam dubia sunt ut nequeat determinare Prudentia, necesse est, ut genii sui Consilium quisq; sequatur, atq; utile est, ut cuivis persuasum sit eorum incæptorum

cæptorum fælicem fore exitum, quæ alacriter ſuſcipiantur.

An ſatius eſt Læto eſſe Animo & contento imaginando ea, quæ poſſidemus bona majora & meliora, quam ſunt, an vero acuratius penſitare juſtum utrorumque valorem, atque inde Triſtitiam contrahere?

CErtè ſi exiſtimarem ſummum bonum eſſe Lætitiam, nullus dubitarem quin quocunque pacto lætitiæ conſulendum eſſet, illorumq; probarem brutos mores, qui ægritudines ſuas vino ſepeliunt & tabaco ſoporant. Sed diſtinguo inter ſummum bonum quod in exercitio virtutis conſiſtit, & animi tranquillitatem, quæ ex hac acquiſitione proficiſcitur. Quare cùm major eſt perfectio, veritatem

potentiam nobis detrimentosam nosse, quam illam ignorare, fateor satius esse minus lætitiæ, plus verè cognitionis habere. Etenim non semper maximè contentus est Animus, cùm maximè hilares sumus. Contra summæ Lætitiæ adsteræ sunt & seriæ, nec nisi mediocres & momentaneas comitatur Risus. Itaq; non probo, ut nos figmentis pascendo decipiamus. Verum cùm ad diversas considerationes æqualiter veras animum appellere possimus, quarum aliæ illum tranquillent, aliæ contra perturbent, mihi videtur Prudentia suadere, ut iis potissimum immoremur, quæ nos delectant. Nec video, cur eum pæniteat qui illud fecit, quod optimum esse eo tempore judicavit, quo se ad actionem determinare debuit,

debuit, quamquam postea [illegible] cum otio reputans se errasse judicet. Cæterum quamvis superbia (quâ fit ut quispiam de seipso melius, quam par est, sentiat) vitium sit animarum humilium, non sequitur tamen fortiores & generosiores debere seipsas contemnere; sed erga nos æqui esse debemus, perfectionesq; nostras non minus, quam vitia agnoscere, & si sit indecorum illas prædicare, nihil tamen vetat, quo minus illas perspicuas faciamus. Hanc autem animæ oblectationem, in quâ consistit beatitudo, non esse à Lætitiâ & corporis commodis inseperabilem, facile est probatu. Nam Tragædiæ eo magis delectant, quo plus in nobis Tristitiæ excitant; Corporis etiam exercitia licet laboriosa admodum, tamen gra-

[illegible] sunt; imò & videmus labore voluptatem sæpè augeri, & ratio oblectationis qua in hisce exercitiis anima perfunditur, est quod corporis qui cum juncta est virium aut peritiæ, &c. ipsi sensum imprimat; verum oblectatio, quam ex fletu percipit inter tragædias, oritur præsertim ex eo quod actionem virtute dignam sibi videatur exercere, dum afflictorum miseretur, & generatim oblectatur, modo maneat ejus in Affectus suos Imperium.

FINIS.